

per dogmata & doctrinas, & aliam quoque gloriam, concordie scilicet, ut sint unum. Ista enim gloria maior est quam ea quae signorum. Nam sicut & deum admiramur, quia non est seditio, neque pugna in natura eius, & maxima ista gloria est: ita & illi, inquit, hoc loco a concordia dico fiant clari. Ego in eis, & tu in me. Hoc loco ostendit quod apostoli & patrem in se receperunt. Ego enim, inquit, in ipsis sum, & te quoque habeo in me. Et ita etiam tu in eis es. Alio autem loco, & patrem etiam ipsum aduenturum dicit, & mansionem facturum: Sabellij os concludens, & duas substantias manifestans. Hoc autem loco & Arii insaniam reprimens: patrem enim inquit per ipsum fieri in discipulis. Ut sciat mundus quod tu me miseris: continuo autem hoc dicit, ostendens pacem, quae ualeat etiam conciliare omnia. Nam ut lites omnia dissoluunt, ita concordia omnia copulat.

2. Corinth. 3

Et dilexisti eos, sicut & me dilexisti. Pater quos dedisti mihi, uolo ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut uideant gloriam meam, quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante conditum mundum. Iterum hoc loco per, Sicut, intellige significari quasi hominem dilectum esse. Itaque quum dixisset futuros tutos, sanctos, multos per eos credituros, multam habituros gloriam: dicit nunc & de premiis & coronis, quae post hanc uitam repositae. Volo enim, inquit, ut ubi sum ego, & illi sint. Et ne quum hoc audieris, existimes quod eandem dignitatem assequuturi sint, subdit: ut uideant gloriam meam. Non enim dixit, ut fruamur gloria mea: sed, ut uideant. Homini enim requies maxima, uidere filium dei. Haec enim est omnis gloria dignorum, quod & Paulus dicit: Nos autem reuelata facie gloriam dei contemplabimur. Ostendit igitur hoc loco, quod non sit, quemadmodum nunc uidetur eis, in uili habitu inueniendus tunc: sed in gloria, quam habuit ante conditum mundum. Habebam autem hanc gloriam, inquit, eo quod dilexeris me. Infertur enim est, Quia dilexisti me. Igitur sicut superius dixit, Glorifica me gloria, quam habui antequam mundus esset: ita & nunc ante conditum mundum sibi datam gloriam inquit, deitatem. Dedit enim ei reuera pater deitatem, ut pater filio naturaliter. Nam quia genuit eum, necessario eam gloriam auctor fuit & suppetitor, qui substantiae auctor dicitur.

Pater iuste, & mundus te non cognouit, ego autem te cognoui, & ii cognouerunt, quod tu me miseris. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis. Postquam credentibus haec precatus, & tanta eis bona pollicitus, dicit quiddam multae misericordiae & benignitatis plenum. Pater, enim inquit, iuste, ego quidem & omnes homines haec bona assequi uellem, qualia imprecatum sum fidelibus: sed non cognouerunt te, ideo priuabuntur premiis & gloria. Ego autem te cognoui. Carpunt autem hoc loco & Iudaei, qui se dicebant cognoscere deum, & ostendit eos non cognoscere patrem. Mundum enim Iudaeos dicit sapientius. Et Iudaei quidem dicunt, quod tu non me miseris, ego autem his discipulis & nomen tuum cognitum feci, & notum faciam. Quomodo autem notum faciam? Missio eis spiritus sancto, qui inducet eos in omnem ueritatem: & si didicerint quis tu, tunc dilectio qua dilexisti me, in ipsis erit, & ego in eis. Scient enim quod non separatus ego, sed ualde dilectus & germanus filius, ac coadunatus. Quum agnouerint autem hoc, & fidem erga me & dilectionem seruabunt. Insuper in illis manebo ego qui tales fuerint, qui te agnouerint, & me ut deum coluerint, immobilem quoque erga me fidem custodierint.

C A P V T X V I I I.

Passio



Aec quum dixisset Iesus, egressus est cum discipulis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem intrauit, & discipuli eius. Sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locum, quod saepe conuenisset Iesus illuc cum discipulis suis. Non inquit, quum precatus esset Iesus: sed, haec quum dixisset: non enim oratio erat, sed colloquium ad solatiu discipulorum factum. Media autem nocte iter facit, & flumen transiit, festinatque ut ueniat in locum proditori notum, seipsum permittens homicidis: ut ostendat, quod sponte ad passionem ueniat, & laborem minueret Iudaeis se querentibus. Nam ne fatigarentur huc & illuc obambulantes, quarentes eum, abiit ipse ad eos, & se manibus inimicorum infert. Inuenitur enim in hortu, quasi in carcere quodam. Et ne existimes quod delitescendi gratia illuc se contulerit, subdit Euangelista, quod & Iudas nouerit locum: atque ita magis manifestari quam occultari

tari uoluit in locū illū ueniens. Sciebat autē & Iudas, quia saepe illuc cōuenerat Iesus cū discipulis suis. Solitaria enim loca, & silentij officinas quærere solebat dominus, & maxime si quando mysticū aliquid tradebat. Vnde autē Iudas cognoscebat, quod in horto hac hora esset Iesus, & non in domo dormiens? Sciebat dominū frequēter extra ciuitatem pernoctare, & eapropter etiam tunc exisse foras. Et aliter: Ipso festo maxime hunc morē seruasse creditus est, docens discipulos suos sublimius quiddā. Docebat autem, ut diximus, in talibus locis mystica. Igitur quia tunc dies festus erat, cōiectabat illuc eum esse, differrentem discipulis iuxta morē suum in festo.

Iudas ergo quū accepisset cohortē, & à pontificibus ac pharisæis ministros, uenit illuc cū laternis ac facibus, & armis, Iesus itaq; sciens omnia quæ uentura erant super se, pcessit ac dixit eis: Quæ quæritis? Respōderūt ei: Iesum Nazarenū. Dicit eis Iesus: Ego sum. Stabat autē & Iudas qui pdebat eum, cū ipsis. Vt ergo dixit eis, Ego sum, abierūt retrorsum, & ceciderunt in terrā. Pecunijs impetrarūt, ut cohors se iuuaret. Militaris enim ordo auri mancipiū est. Multi autē ueniunt, timentes eos qui Iesum sequebantur, & ab eo pendebant propter doctrinā & miracula. Laternas & faces gestant, ut ne occultans se in tenebris aufugeret. At ille intantū fugā nō quærebat, ut obuiā exiret, seipsum tradēs. Et rogat quidē, nō quod ignoret, & discere opus habeat. Sciebat em̄ omnia, inquit, quæ uentura super eum erant. Et ita quia sciebat qd̄ ad se uenirent, rogat nō indigens ut doceat: sed ostēdere uolens, quod & præsens nō uisus uel cognitus esset, si uoluisset. Sed & rogat ut alienus, & neq; à uoce agnoscunt eū Iudas uel alijs. Quod autē nō ppter tenebras ignorauerint eū, prædixit Euangelista eos cum facibus aduenisse. Pone autē quod ppter tenebras nō agnouerunt eū, oportebat certe à uoce ipsum agnouisse. Interrogat igit, ut ostēdat, ut diximus, se neq; à specie, neq; à uoce cognitū fuisse. Ita ineffabilis erat eius uirtus. Et ita neq; crucifigere potuissent, nisi uolūtarius se obtulisset. Nō solū autē quod excæcarit oculos eorū, sed & quod supini ceciderint una interrogationis uoce prostrati, signū fuerit casuros eos qui cōtra Iesum uenerāt, uniuersali gētis istius ruina, quæ post Christi mortē sup̄ eos uenit, sicut et Hieremias prædixit: Domus Israël cecidit, non est qui resuscitet. Cadunt igitur omnes qui sermoni diuino sunt aduersarij. Hortus autē à quo salus nostra sumpsit originē, paradysum referebat. Nam qui cecidimus in horto paradisi, uidimus in horto salutarē passionem sumpsisse initium, & omnia quæ prius corrupta reparasse.

Iterū ergo eos interrogauit: Quæ quæritis? At illi dixerūt: Iesum Nazarenū. Respondit Iesus & dixit: Dixi uobis qd̄ ego sim. Si igit me quæritis, sinite hos abire, ut impleret sermo quē dixit: Quos dedisti mihi, nō pdidi ex eis quenquam. Prostrauit quidē eos, ut retrorsum caderent: declarans potentia suā, & quod ad passionē ueniret. Ad hæc etiā hoc prouidens, ut ne quis dicat Iudas nō peccasse, eo quod illis se crediderat, & manifestat, ppter hoc ostendit eis hoc miraculū, qd̄ sufficebat ad repellēdos eos. Vbi autē in malicia sua permanserunt, etiā post miraculū, tūc se manibus eorum permisit. Et uide quomodo usq; sub ultimā horā dilectionē erga proximos nō relinquit. Nā si me quæritis, inquit, sinite illos abire, ut impleret sermo quē dixerat: Quos dedisti mihi, ex eis non perdidit quenquā. Perditionē autē dominus animæ dicebat, quia nullus periit qui ab eo doctus fuit. Euangelista autē & ad corporalē trahit. Miraculū autē quomodo nō comprehenderint illos apostoli, & dissecuerint eos, imprimis aut Petrus incitauit eos. Vnde manifestū, quod comprehensi uirtus hoc fecerit, & sententia quā prædixerat, nullū esse ex illis perdendum: id quod & Euangelista docens nos, qd̄ hoc fuerit propter sententiā domini, ne interficerentur discipuli, inquit, ut impleretur sermo quē dixit: ne ullus ex his quos dedit ei pater amitteret: nam propter infirmitatē securos eos fecit à tentationibus. Ita & nos nūc regit, etiā si ignorem. Vnde quādo incidis in tēstationē, crede qd̄ nisi cognouisset te posse illas euadere, nō pmisisset te in eas incidere, sicut neq; tūc discipulos.

Simon ergo Petrus, quum haberet gladium, eduxit eum, & percussit pontificis seruum, & abscidit auriculam eius dexteram: erat autem nomen seruo Malchus. Dicit ergo Iesus Petro: Mitte gladiū tuū in uaginā. An nō bibā poculū qd̄ dedit mihi pater?

Quū Petrus uidisset dominū prostrauisse illos, & impletus esset fiducia, ppter uocē dōmini, dicentis, Sinite illos abire: existimauit qd̄ tūc esset tēpus uindictæ, extractoq; gladio percussit seruū. Quod si quæras, quomodo is, q̄ iussus est non portare perā, neq; duas tunicas, gladiū haberet? Disce qd̄ portauerit illū in usum agni paschalis etiā post coenā. Vel qd̄ timēs insidias olim in hoc praparauerit. Quod si dubitas quomodo, quū iussus fuerit nō repecutere, illis ut homicidis restiterit: Audi quomodo nō semetipsum, sed magistrū maxime ultus fuerit. Deinde qd̄ nondū perfecti tunc erant. Nam uide quomodo postea extrema ferre gaudet. Nunc aut̄ pro magistro indignat̄, & caput illud inuadit. Et cum aberraret, auriculā solā abscindit. Iesus uero restituit, & per hoc miraculū iterū insipientes ludæos refrenat ab impetu ad homicidiū. Nam quia magnū erat miraculum, in auricula, propterea & nomē serui apponit Euangelista, ut si legentes discredant, ab illo quærant, num ita factum sit. Porro dominus Petrū quidē reprimat, & interminat dicens: Mitte gladiū tuū in uaginā. Consolat̄ autē dicēdo, Poculū quod dedit mihi pater, an nō uis ut bibā illud? Ostēdit em̄ quod patiat̄ nō propter illorū uirtutē, sed suā permissionē. Et qd̄ nō sit aduersarius deo, sed usq; ad mortē faciat uoluntatē patris. Dicendo aut̄ poculū, insinuat mortē dulcē & desyderabilē in salutē hominū. Ceterū tu hic attendas, defecari auriculā serui pontificis, signum fuisse inobedientiae illorū. Cæcitas enim in Israël facta est, ut audientes nō audiant, propter impietate erga saluatōrē, quæ maxime fuit pontificū: ideo & auriculā abscisio in seruo pontificis facta est. Quod autē restituta est auricula, significat Israëlitis olim restituendā auriculam, quæ nunc est ablata. Etenim Elias cum uenerit, reuocabit eos ad Christum, & coniunget patres nobis filijs, sicut & Malachias dixit.

Malach. 4.

Cohors igitur & tribunos, & ministri ludæorū comprehenderunt Iesum, & ligauerunt eum, & adduxerunt eum ad Annā primū. Erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius. Erat autē Caiphæ is qui consiliū dederat ludæis, quod expediret unum hominē mori pro populo. Postq; omnia fecit quæ ad reprimendū illorū furorē pertinere uidebantur, illi autē non intellexerunt, tunc tandem permisit se abduci. Porro illi alligant & abducunt ad Annā, gloriantes facto, & quasi celebrari cupientes, p̄inde ac magnū trophæū excitassent. Ceterū prophetiæ Caiphæ meminit, ostendere uolens qd̄ pro salute mundi hæc facta sint, & quod tam excellens sit ueritas, ut & inimici eā prædixerint. Ut enim non turbemur audientes uincula, meminit prophetiæ, quod salutaria fuerint & mors & uincula, qua de causa & hæc protulerit.

Sequebatur autem Simon Petrus, & alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici, & introiuit cum Iesu in atriū pontificis: Petrus aut̄ stabat ad ostiū foris. Exiuit autem discipulus ille alter, qui erat notus pontifici, et dixit ostiariæ, & introduxit Petrum. Quis erat alius discipulus? Ille ipse qui hæc scripsit. Occultat autem se propter humilitatē, quia honestū opus narraturus erat, secutum se esse fugiētibus alijs. Propter hoc occultat seipsum, & præponit sibi Petrū. Sequebat̄ enim, inquit, Iesum Sīmon Petrus: deinde subdit, Et alius discipulus. Propter humilitatē igitur se occultat, & propter istucipsum eius rei meminit: ut discamus qd̄ certius narret ea, quæ in atrio sint facta, eo quod intus fuerit. Vide autē quomodo & propriā laudē resecuerit. Nā ut ne quū audieris quod ingressus sit, existimes eū fortiolem alijs, dicit, notus autē erat pontifici. Petrū uero prædicat, eo quod propter amorem sequutus fuerit: & quia non erat notus, foras steterit. Nam quod & Petrus ingressus fuisset, nisi timuisset, manifestum. Quia enim Ioannes exiuit, & ostiariam iussit ut illū introduceret: statim ingressus est Petrus. Quare autē Ioannes nō introduxit eum, sed mulieri hoc cōmisit: quia ualde adhærebat Christo, & sequebatur, nolens ab eo separari.

Dixit ergo Petro ancilla ostiaria, nū & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille: Nō sum. Stabat aut̄ serui & ministri, q̄ prunas cōgesserāt, q̄ frigus erat, & calefaciebant se. Erat aut̄ & Petrus stans & calefaciens se. Interrogat ancilla Petrū nō cōtumeliose, nō præfracte, sed ualde mansuete. Nō em̄ dixit, nū & tu ex discipulis es impostoris: sed, hominis illius, id quod magis est miserantis. Dixit autē, nunquid & tu: quia Ioannes intus

erat,

erat. Et mulier quidem ita mansuete alloquebatur. Ille autem nihil horum sentiebat, neque in animum recipiebat Christi prædictionē. Ita infirma res humana natura est, quando à deo derelinquitur. Quidam autem stulte Petro gratificari uolentes, dicunt quod non timuerit, nec negauerit Petrus: sed uoluerit quidem semper cum Christo esse, & eum sequi: descivit autem, quia si confessus fuisset se discipulum Iesu, separandus fuisset ab eo, & non ultra habiturus erat locum quò sequeretur, & uideret desiderabilem, & propterea negauit, dicens: Non sum. Nam & ex eadem sententia feruor fuit. Putaret enim se facere ea quæ ministri, & ut unus illorum, ut ne ex tristitia faciei deprehensus excludatur à uidendo Christo, reiectus è medio ut discipulus eius.

Erat autem cum eis Petrus, stans & calefaciēs se. Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis, & de doctrina ipsius. Respondit Iesus: Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga, & in templo quò omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil: Quid me interrogas? Interroga eos, qui audierūt quid locutus sim ipsis. Ecce hi sciunt quæ dixerim ego. Hæc autem quum dixisset, unus assistens ministrorū dedit alapam Iesu, dicens: Siccine respondes pontifici? Respondit ei Iesus: Si male locutus sum, testare de malo: sin bene, cur me cædis? Interrogat pontifex Iesum de discipulis, fortasse in hunc modū: Vbi sunt, & qui sunt? aut qua mente eos collegerit, & quid uolens. Quasi enim nouator & seditiosum uoluit eū arguere. Et de doctrina quoque interrogat qualis sit: nū à lege recedens, & pugnans cū Moyses ut inde inuenta occasio ne tanquā aduersariū dei occidat. Quid igit dominus? Respondet illi iuxta suspiciōnem eius: Ego quidē (inquit) in occulto nihil locutus sum. Nam tu quidē suspicaris me seditiosum quendā, & in occulto cōsilia struētē. Ego autē tibi (inquit) dico, quod nihil in occulto locutus sum, hoc est nihil seditiosum. Et sicut tu opinaris, nihil in nouo, neque docta & occulta mēte propriū quiddā locutus sum. Quia nisi sic intellexerimus quod ad suspiciōnē pōtifis hæc dixerit, uidebit mētiri. Nā multa dixit in occulto, utpote ea quæ supra captū multitudinis erant. Quod autē dicit, quid me interrogas? interroga eos qui audierunt: non pertinacis est, sed fidentis in dictorū ueritate. Interroga enim (inquit) inimicos, insidiatores ministros illos, qui ligauerunt me. Ista enim est ueritatis indubitata demonstratio, quando quis habet inimicos testes eorū quæ dicit. Nam ministri ipsi quidem, inquit, qui antea dixerunt: Nunquā locutus est homo sicut homo ille. Et quā ita respondisset, nō est eis admirationi, sed alapa cæditur, quo quid fieret impudentius? Et quum posset omnia cōcutere & abolere, nihil quidem horum facit, sed uerba loquitur, quæ omnīū bestiarū sæuitiē demulcere possent, dicit enim: Si quidē habes, ut reprehendas ea quæ nunc à me dicta sunt, ostende quod maledixerim: si autem non habes, quid ferocis? Vel & sic: Si male locutus sum, hoc est si male docui, quando docui in synagoga, accede nūc, & testimonium perhibe de mala doctrina, & plene instrue pontificem, qui nunc interrogat de doctrina mea. Si autem bene docui, & me admirati estis etiam uos ministri, quid me nunc cædis, quem prius admirabaris? Percussit igitur minister dominum, magno crimine se liberans. Nam ubi Iesus in testes uocaret assistentes, dicens: Ecce hi sciunt quæ dixerim ego: uolens minister se liberare à suspiciōne, quod non esset ex admiratoribus Iesu, percussit eum. Iesus autem dicendo, Ego in occulto locutus sum nihil: reducit in memoriā prophetiam dicentem: Non in occulto locutus sum, neque in loco terræ tenebroso.

Et misit eum Annas uinctum ad Caipham pōtificem. Stabat autem Simon Petrus, & calefaciebat se. Dixerunt ergo ei: Num & tu ex discipulis eius es? Negauit ille, & dixit: Nō sum. Dicit ei unus ex seruis pontificis cognatus eius, cuius abscederat Petrus auriculam: Nōne ego te uidi in horto cū illo? Iterum ergo negauit Petrus: & statim galilus cecinit. Abducunt eum ad Caipham, eo quod ipsi nullum crimen inueniebant in eo, fortassis suspicati illum sapientiorē, inuenturum aliquid dignum morte contra Iesum, supplantantem uel in responso, uel deprehensurum in aliquo facinore. At Petrus feruidus amator tanta grauitate detinebatur, ut etiam quum magister abduceretur, nō commotus sit, sed adhuc ferueat, & iterum interrogatus neget: & non solum primo,

sed & tertio. Quare autem Euangelistæ & omnes simul de Petro scripserunt? nō accusantes discipulum, sed nos erudientes quantum malum sit non totum tribuere deo, & in seipso confidere. Admirari autem decet domini misericordiam, quod & quum ligatus esset, & abduceretur, non neglexit discipulum, sed conuersus uidit Petrum, sicut alius Euangelista dicit, & aspectu opprobrat ei infirmitatem, & ad pœnitentiam ac lachrymas excitat. Quod autem tunc accidit Petro, etiā nunc uidere licet euenire multis. Nam ligatur quidem sermo dei, qui in nobis est, & quasi captiuus ducitur, siue à uoluptate, siue à tristitia in seruitutem redactus. Vtroque enim modo uincimur & abducimur, uel præ prosperis, uel præ aduersis mundi, deum obliuiscētes. Et condemnatur quidem sermo, uincit autem absurditas. Et seruus alapa cædit dominum. Ita enim habet affectionum tumultus, quando mens nostra quasi Petrus aliquis sæpe pertinax fit, quasi non negatura uerbum, & ideo & stat & calefcit. Stat quidem, eo quod non inclinetur, neque humilietur, sed in sua pertinacia constanter maneat. Calefacere autem se dicitur, eo quod præ feruore & fastu pertinacia laboret. Arguit autem eum ancilla, parua quædam uoluptas, & effœminans, statim que negat sermonem. Sed & quadā aduersa tentatione arguitur, sicut tunc Petrus à seruo, & ita infirmitas eius deprehenditur. Sed precemur, ut aspiciat nos Iesus uerbum dei, & ad pœnitentiam & lachrymas prouocet: quod fiet quando exiuerimus ex atrio pontificis, qui dominum crucifigit, & rector est mundi. Quando enim extra mundum quis est, atrium rectoris mundi egreditur. Tunc enim tunc ad pœnitentiam synceram exurgemus, sicut & Paulus dicit:

Heb. 13. Egrediamur ad eum extra portam, hoc est mundum, opprobrium eius ferentes. Ducunt ergo Iesum à Caipha in prætorium. Erat autem mane, & ipsi non introierunt in prætorium ne contaminarentur, sed ut ederent pascha. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusationem assertis aduersus hominem hunc? Respondunt, & dixerunt ei: Si non esset hic nocens, haudquaquā tibi tradidissēmus eum. Dicit ergo eis Pilatus: Accipite eum uos, & secundum legem uestram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudæi: Nobis non licet interficere quenquam, ut sermo Iesu impletur quem dixit, significans qua morte esset moriturus. Ad multos iudices ducunt dominum, opinantes se illum contumelia affecturos. Sed reuera per multa tribunalia clarum reddunt. Dominus enim per omnia illa exiuit non conuictus de crimine, robustus habens cui contradici non potuit. Ducunt ergo eum ad prætorium. Non enim habebant ipsi potestatem occidendi, utpote rerum potentibus Rhomanis. Vel quia timebant, ne postea pœnas luerent accusati, quod in condemnatum interfecissent. Erat autem mane, inquit: ut discas quod per dimidium noctis à Caipha interrogatus sit. Prius enim quā gallus cantaret, abductus est ad Caipham. Quid autem ab eo interrogaret, silentio præterijt Euangelista. Alij autem dixerunt: quum noctem in illis perfecissent, mane ad Pilatū duxerunt. Ipsi autem nō sunt ingressi in prætoriū, ut ne polluerentur. O dementiam. Iniuste quidem occidebant, & non putabant se pollui, & pollui se credebant si ingrederetur in prætorium. Quid autem est ut comederent pascha? Sanè dominus illud fecit prima azymorum. Vel igitur intelligamus per pascha, festum septēdierum, uel quod ipsi quidem manducaturi erant in parasceue uespere. Ipse autem dominus uno die præuenit, referuans sui occasionem parasceue, quando & olim fuit pascha. Porro Pilatus aliquanto humanior ipse egreditur, & quia dominum uidit uinctum, non existimauit hoc loco causam habere contra Christum, sed interrogat de causa uinctulorum. At hi quum nihil possent dicere: Nisi hic esset malefactor (aiunt) non tradidissēmus eum. Vides eos omni loco declinare accusationes. Annas interrogauit, & nihil inuenit. Ad Caipham misit, qui iterum, quum examinasset eum, ad Pilatū misit. Deinde Pilatus interrogat, quam accusationem habetis contra hunc? Et neque hoc loco dicere aliquid possunt. Vnde quia nihil dicunt: accipite (inquit) uos illum, quia enim uobis ipsis iudicium iudicatis, & arroganter loquimini, quasi nihil unquam mali feceritis. Nisi enim (dicētes) fuisset malefactor, nō tibi tradidissēmus eū, ipsi accipite & iudicate. Si autē ad me detulissetis causam, & formā iuris seruassetis, necessarii fuisset

fuitlet proferre causas hominis. Iudicate igitur eū uos. Ego em̄ neutiquā talis iudex fue-
rim. Igit̄ si lex uestra absq; causa sc̄uit, iudicate ipsi. At illi dixerunt: Nobis nō licet occi-
dere quenquā. Hoc aut̄ dixerūt, sciētes quod Rhomani ad crucē cōdemnarēt rebelles:
ut igitur crucifigeretur dominus, & morseius inuulgaref, eius gratia pr̄texūt quod
nō liceat sibi occidere: alioqui q̄modo Stephanū lapidarūt: sed, ut dixi, crucifigi dominū AA. 7.
uolentes hoc dicunt, quasi sic dixissent: Nobis nō licet occidere in cruce quenquā: desy-
deratissimū aut̄ esset nobis, q̄ crucifigeret. Vt sermo Iesu impleat̄ quē dixerat de morte
sua, nempe qd̄ crucifigēdus esset, uel quod nō à Iudæis, sed à gētibz occidendus. Quū
ergo dixissent Iudæi, Nobis nō licet occidere: tūc accipiūt eū gentiles, & p̄ sua cōsuetu-
dine crucifigūt. Et ita implef sermo Iesu, & quod traditus, & quod crucifixus.

Introiuit ergo iterū in pr̄toriiū Pilatus, & uocauit Iesum, & dixit ei: Tu es ille rex Iu-
dæorū. Respondit Iesus: A temetipso tu hoc dicis, an alij dixerunt tibi de me? Respon-
dit Pilatus: Num ego Iudæus sum? Gens tua & pontifices tradiderūt te mihi, quid feci-
sti? Respondit Iesus: Regnū meū non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnū
meum, ministri mei utiq; decertarent, ne traderer Iudæis. Nunc autem regnum meum
nō est hinc.] Vocauit Iesum Pilatus seorsim. Et quia magna quādā de eo erat opinio,
uolebat omnia euidēter cognoscere, liberaturus eū à tumultu Iudæorū. Interrogat igit̄
num rex sit: quod apud omnes de eo ferebatur, in mediū afferens. Christus aut̄ quærīt
num à semetipso hoc dicat, uel ab alijs: nō ignorans, sed detegere malā Iudæorū mētē
uolens, ut ita à Pilato cōdemnētur ipsi. Ideo & Pilatus mox à Iudæis sibi traditū dicit,
sele à crimine liberans. Et aliter: Interrogat Pilatū dominus, nū à seipso dicat, uel ab alijs
persuasus. Arguit autē per hoc eū insipientem esse, & absq; iudicio condemnantem, &
quasi in hunc modū dicit Pilato: Si quidē à teipso hoc dicis, monstra signa meæ rebellio-
nis. Si autē ab alijs edoctus es, igitur diligentē inquisitionē facito. At ille quid audiuerit
ab alijs, nō dicit: simpliciter aut̄ sequitur sententiā populi: Et tradiderūt te (inquit) mihi.
Quū autē dicit, Quid fecisti? uerbū quasi ad amaritudinē adducti & exasperati uidetur.
Dicit enim, Quid fecisti? At dominus respondēdo, Regnū meū nō est de hoc mundo,
duo hæc corrigit. Docet enim Pilatū, ut sciāt se non esse purū hominē, neq; ex his ter-
renis, sed deum & dei filium, & soluit suspicionē tyrannidis. Nō est enim regnum me-
um de hoc mūdo, & ita ne timeas me ut tyrannū & seditiosum. Nā si esset ex hoc mun-
do regnū meū, ministri mei certassent utiq; ut nō traderer. Hoc autē loco pr̄sentis re-
gni infirmitatē significat, eo qd̄ à ministris habeat robur. Supernum autē sufficiens est,
nullo indigēs. Manichæi hic sumpta ansa dicūt, Mūdus hic non est à bono deo: nā filius
dei (aiūt) dicit, Nō est regnū meū hinc. Nō em̄ dixit, qd̄ nō sit in mundo, neq; qd̄ sit hic.
Nā regnū quidē in hoc mundo & ab eo regitur, & sicut ipse uult transīt. Nō est aut̄ de
mundo regnū eius, sed supernū & ante secula, & nō hinc, hoc est ex terrenis constitutū:
sed hic quidē imperat & regit: nō autē est hinc, neq; constitutū ex illis inferioribus, alio-
qui quomodo intelligeretur hoc, In propria uenit, si mūdus hic nō esset eius proprius? IOAN. 1.

Dixit itaq; ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respōdit Iesus: Tu dicis, qd̄ rex sim ego. Ego
in hoc natus sum, & ad hoc ueni in mundū, ut testimoniū feram ueritati. Omnis qui ex
ueritate, audit uocē meā. Dicit ei Pilatus: Quid est ueritas? Et quū hoc dixisset, iterū pro-
dijt ad Iudæos, & dicit eis: Ego nullā inuenio in eo causam. Est aut̄ cōsuetudo uobis, ut
unū dimittā uobis in pascha: uultis ne ergo dimittā uobis illū regē Iudæorū? Quū Pi-
latus interrogasset dominū, num rex esset: Ego (inquit) in hoc natus sum, hoc est ut rex
sim. Natura enim hoc habeo, & ex eo quod natus sum de patre: nam istucipsum de re-
ge natum esse, regem me esse testatur. Et ita quum audis, quod uitam dederit filio &
iudicium, & alia omnia: ita intellige, quod hæc omnia filius à patre habeat. Et propterea
ueni in mundum, ut istucipsum dicam & doceam, persuadeam que hominibus omni-
bus, quod rex sim ac dominus. Conciliare autem per hoc uolens Pilatum, & persua-
dere, ut dicta suscipiat, inquit: Omnis qui ex ueritate, audit uocem meam. Et ita & tu o
Pilate, si quidē ueritatis filius, eam que desyderas, audies uocem meam, credes que
me regem esse; non talem quales sunt mundani, nec acquisitum habentem regnum;

sed naturale, & à natiuitate ipsa à deo & rege illud suscipiente. Perstringuntur autē hoc loco quod non sint in ueritate, quia uocem eius audire nolunt. Et quum non sint ex ueritate, mendacia utiq; contra ipsum finxerunt, & nō uere mortis reus est. Sic igitur paucis illis uerbis Pilatū rapuit: atq; ita ut de ueritate interrogarit, quid sit. Ferme enim inter homines abolita erat, & ignorabatur ab omnibus in infidelitate adhuc permanentibus. Quia autē tempore quidem indigebat proprio quæstio hac, & urgebat ut eriperet Iesum à Iudæorū furore: idcirco egreditur ad eos, & dicit: Ego nullā causam inuenio in eo. Et id quoq; sapienter. Non enim dixit: Quamuis peccauerit & dignus sit morte: at tamen feli priuilegio eum gaudere facite. Primū autē eum liberauit ab omni crimine, & tunc orat eos ut absoluant: ut si quidem absolutus fuerit Iesus, nulla eis gratia debeatur, dimississent enim innoxium. Si autem cōdemnarint, ostendat eorū malitia, quod innoxium condemnarint. Vide autē quē sensum habeat, quod dicit illū regē Iudæorū. Manifeste enim per hoc excusat Pilatus Iesum à peccato alienū: sed frustra arguitur ab eis, ut regnum desyderans. Non enim si regem se faceret, & contra Rhomanorum potentiā extolleret, dimitteret eum Rhomanorū præses, & ita dicendo: Num regem illū Iudæorum dimittam? per omnia Iesum innoxium declarat, & deridet Iudæos, quasi talia dicens: Quem uos accusatis falsū ut regnum inuadentē, & rebellantem, ac seditiosum dicetis, illum oro ut absoluat: & manifestum quod non ita sit. Quidam autē in hoc natū esse, non intellexerūt de æterna illa à patre natiuitate, sed posteriore ē uirgine. Propterea enim factus sum homo, & natus ex Maria, ut mendaciū & diabolū expellā, diuinā naturā ostendens regnare super omnia. Veritas igitur, hoc est mea scientia & salus quæ per hanc: propter hoc scilicet ueni, ut ueritatem, scientiam dei, & salutem largiar. Dignum autem est ut quæratur, unde moti Iudæi consuetudinem habeant dimittendi unum uinctum. Primo enim dicere possumus, quod docentes doctrinas mandata hominum, plurima iuxta sua capita protulerunt, nec diuinis usi fuerūt legibus: unde & hoc ita se habet, inq; consuetudinem abiit etiam absq; ratione, qualia multa absq; legis præcepto. Deinde talis inuenta est lex in scriptura, à qua uerisimile profectas esse absolutiones illas condemnatorum. Scriptum est enim de eo: Qui præter uoluntatem suam occiderit, si nō propter inimicitias, uel dedita opera affligere uoluit uicinum, iaciens uas uel lapidē, & casu percussus prætereuntem, moriaturq; homo, inuoluntarius sit homicida talis, iudicabit autem omnis synagoga, & absoluent quidem illum à morte: non enim maligna mente occidit. Constituent autem eum in ciuitate refugij, hoc est fuga multabunt. Ex hoc forte impulsus, ut coniectare possumus: ita enim morem firmarunt, ut absoluantur qui de homicidio fuerint condemnati. Nam lex quidem iubebat hoc esse officium synagoga Iudæorum. Et quia Rhomanis cesserat regnum, Rhomanos fecerunt dominos absoluenti, sicut & nunc Pilatum.

Num. 35.

Clamauerunt rursus omnes, dicentes: Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro.]

CAPVT XIX.



Vnc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit. Et milites plecientes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius, & ueste purpurea circumdederunt eum, ac dicebant: Aue rex Iudæorum, & dabant ei alapas. Exiuit iterum Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco uobis eum foras, ut cognoscatis quod nullam in eo causam inuenio. Exiuit ergo Iesus foras, gestās spinēam coronam, & purpureum pallium, & dicit eis: Ecce homo. Quum ergo uidissent eum pontifices & ministri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige. Dicit eis Pilatus: Accipite eum uos, & crucifigite: ego enim non inuenio in eo causam. Responderunt ei Iudæi: Nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori: quia filium dei se fecit. Vide perquā multa monstratur Iudæorum malitia: Barabbam enim manifestarium latronem petunt, dominum uero tradūt. Flagellat igitur eum Pilatus, ut consoletur & mitiget eorum furorem. Nam quia uerbis non potuit eum eripere, flagellat, studens